



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-562842-p0001-4

DFG



7786

X.  
Q. D. B. V.

1658, 22<sup>a</sup>

535  
22

EXERCITATIO JURIDICA

de

# USUFRUCTU,

*Quam*

Permissu ac consensu

Magnifici ac Nobilissimi J<sup>C</sup>torum in Alma Sala-  
na Ordinis,

P R A E S I D E

V I R O

Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimo, Excellentissimo

DN. GEORG-ADAMO STRUVIO,  
J<sup>C</sup>to & Antecessore longè celeberrimo, Consilia-  
rio Saxonico gravissimo, Curiæ Provincialis & Scabi-  
natus Assessore spectatissimo,

Patrono ac Præceptore suo omni honoris atque obser-  
vantia cultu ætatem devenerando, co-  
lendo

publico eruditorum examini submittit

JOHANNES ADOLPHUS RIEMER,  
JENENSIS, A. & R.

In Auditorio J<sup>C</sup>torum

Ad diem Octobr.

---

JENÆ, Literis JOHANNIS NISII,  
c<sup>lo</sup> I<sup>c</sup> LVIII.



£ £

MAGNIFICO, NOBILISSIMO,  
CONSULTISSIMO, AMPLISSIMO, SUMMO QVE

VIR O

DN. GEORGIO

FRANTZKE,  
ICto celeberrimo, Com. Pa-

lat. Cæsareo, Cancellario in Aula Gotha-  
na meritissimo, Dicasteriique, quod ibidem  
est, Præsidi gravissimo,

Patri, Mecænati atque Evergeta suo omni  
pietatis cultu æternum devenerando, pro-  
sequendo

Hasce Musarum primitias

consecrat, dedicat

AUTOR.



J. N. J. C.  
Proœmium.

**U**s in universum quod circa res habemus, duplex est: Jus in re, & jus ad rem. *I. 3. l. 25. ff. de O. & A.* Jus in re, alias etiam dominium dicitur, vocab. latè sumitò; Jus ad rem obligatio. Illius plures reddunt species, ex quibus & servitutem unam esse, patet *ex lege 13. §. 1. C. de judic.* Est autem servitus in genere jus in alienâ re constitutum, quô libertas domino aliâs in re sua competens adimitur, ita, ut ad alterius utilitatem aliquid in suo pati teneatur, vel non facere. *I. 15. § 1. ff. de servit.* Illam ipsam vero dividunt in realem & personalem. *I. 1. ff. d. t.* Realem vocant jus, quô res s. prædium alteri rei s. prædio servit. Personalem, quam res non rei, sed persona debet. Ipsa vero hæc est vel plena, vel minus plena. Plena est ususfructus; minus plena Usus & Habitatio. De illa pleniora servitute personali rubrica nostra concepta est, eamque pro ingenii moderamine examinare animus est.

T H E S I S I.

Ordine verò ut procedamus, Etymologiam nominis paucis absolvemus. Dicitur Ususfructus teste Gedd. in Lexic. à verbo *utifrui*, quod omnem utilitatem ex re quadam percipere denotat. Quæ & simplicis verbis frui plerumque significatio. Hinc usufructu omnis utilitas, obventio & commodum ex re, vel per causam rei continetur. *I. 7. ff. de usufr. I. 9. pr. I. 59. §. 1. ff. eod.* Germanicè dicunt *eine Fruchtniehung / Leibzucht.* Græcè γενήσις. Licet non ita plenè. *Giph. in not. ad h. t.*

II. Succedit homonymia, quæ mire DD. ingenia torsit. Præterquam enim, quod vulgò objectivè, pro ipso proventu, quem quis ex re fructuaria percipit, sumitur; primò accipitur impro-

A. 2 priè

priè ac generaliter pro jure commoda ex re propria percipiendi.  
l. 21. §. 3. ff. de except. rei judic. l. 4. ff. b. t. l. 126. §. 1. de V. O. eumque vocare amant usumfructum causalem, quia à proprietate dependet, ut effectus à causa, seu, ut alii malunt, *conunctum*, *mixtum*, quia dominii pars est. d. l. 4. ff. b. t. Secundò sumitur propriè ac specialiter pro eo jure, quo quis ex re, cuius proprietas penes alium est, jure servitutis, non dominii, fructum haurit. l. 78. §. 2. ff. de jur. dot. l. 15. §. 47. ff. de injur. vocitantque *formalem*, *merum*, seu *separatum*, quia à proprietate separatus speciale formam habet, & formaliter est ususfructus, nec pars dominii. l. 25. ff. de V. S. l. 66. §. 5. de leg. 2. Quam distinctionem, cum ipsi textus subministrare videantur, non immerito agnoscimus: cuius beneficio nimis vexatam illam controversiam: *an ususfructus sit pars dominii*, liberatam speramus.

III. In posteriori hoc significatu, varia admittit synonyma. Sive enim verbo ususfructus s. fructuum annuorum. s. reddituum quis utatur, idem jus intelligitur. l. 20. ff. de usufr. l. 41. ff. de usufr. leg. 22. ff. eod. l. 21. ff. de annuis leg. Et ususfructus an fructus legetur, nihil interest. l. 14. §. 1. de usu & habit. Cum fructus pro usufructu passim legatur. l. 4. ff. de oper. serv. l. 76. §. 2. junct. l. 66. §. pen. de leg. 2. (unde & fructarius.) Dicitur etiam: *jus utendi fruendi*. l. 5. pr. ff. si usufr. pet.

IV. Definitur ususfructus formalis à Justin. ex Paulo in l. 1. ff. de usufr. in pr. Inst. b. t. quod sit jus utendi fruendi rebus alienis, salva rerum substantia. Quam definitionem ceu veriorem, suoque definito, ut testatur Donell. x. Com. 2. nec latiorem, nec strictiorum breviter percurremus; de iis, quæ ibi attingi possent, pluribus postea visuri.

V. Genus ponitur (relatione habita ad fructuarium, partem dominantem) *jus*, quod remotum quidem: propinquum est servitus, personalis videlicet. Dicitur *jus* i. e. potestas jure concessa. Hæc enim est vocab. juris significatio, quando cum verbo aliquo faciendi junctum legitur. Ut benè annotavit Donell. x. Com. 2. Semotis eorum opinionibus, qui vocab. *jus* hic per servitatem explicare contendunt, ceu est *Accurſius*; aut constitutionem & ordinationem civitatis quandam hic & in omni definitione denotare somniant. V. a con. l. de clar. 20..

VI. Dif-

VI. Differentia specifica desumitur ab Objecto, Fine & Forma. Subjectum sunt res alienæ. Quod omni servituti commune est. Et oportet res esse alienas, quarum usumfructum habemus. Nam nostræ servire nobis non possunt, quandoquidem suarum rerum neque ususfructus l. 33. §. ult. ff. de S. P. R. neque servitus esse potest; l. 26. ff. de S. P. U. sed jure dominii iis utimur fruimur l. 5. pr. ff. si ususfr. pet.. Atqui usufructuarius fructus non nisi servitutis jure accipere debet, ut patet ex definitione. Rerum autem appellatione, non tantum immobiles, ut prædia, sed etiam mobiles & se moventes intelligimus. l. 7. pr. ff. b. t. l. 15. ff. eod. prout quælibet sua natura usumfructum recipere potest. De quo plenius infra.

VII. Finis est uti frui. Notatur ac continetur omnium emolumentorum, omniumque proventuum perceptio. Ged. in verbo *utendi fruendi*: tam naturalium l. 9. ff. b. t. quam civilium l. 7. ff. b. t. non solum ad necessitatem, sed & voluptatem.

VIII. Quo differt imprimis ab Usu, cuius non est omnia emolumenta percipere, sed ea tantum, quæ quotidie sunt necessaria per §. 1. J. de usu & habit. ut ita latior ususfructus usum in se contineat; & fructus (ususfructus) absque usu esse non possit, unus sine fructu possit. l. 14. §. 1. ff. de usu & habit. l. 13. §. 3. ff. de acceptil. II. A pignore, quod in securitate, non usu rei consistit. §. ult. J. quib. mod. re contrab. oblig. §. 6. J. de obl. quæ quasi ex delicto.

IX. Additur: *Salva rerum substantia*: sc. ut forma breviter innuat pr. Rectè, inquit Bachov. ad Treutl. disp. 16. θ. 1. cum jus utendi fruendi etiam cum jure abutendi consistere possit. Theoph. tamen verba hæc ita interpretatur: quod, cum ususfructus jus in corpore dicatur. pr. I. & l. 1. ff. b. t. sensus sit iste: est jus utendi fruendi donec salvum maneat istud corpus, vel substantia illa, in quâ usumfructum habet. Nos salvo tanti Viri judicio, cum communi DD. Sententiâ ea in modum restrictionis accipimus, ut sensus eorum sit; uti frui quidē posse fructuarium re fructuariâ, sed tamen ita, ne rei substantiam consumat: cum boni viri arbitratu & patris fam. instar uti debeat l. 65. ff. b. t.

X. Absolutâ jam definitione ad causas & reliqua suetâ methodo pergamus.

A. 3:

XI. Cau-

XI. Causa efficiens ususfructus formalis nostri haud ineptè considerari potest ratione & determinationis & Constitutionis. Illa, quæ usumfr. determinat, s. ipsi modura largitur, sunt jura, veluti Lex, SCtum & Consuetudo. Non enim cuilibet quovis modò ac pro arbitrio suo hoc jus habere & exercere integrum est; sed certis limitibus hæc universa sunt circumscripta, ac definita.

XII. Causa efficiens ratione constitutionis vel acquisitionis iterum dupliciter spectari potest, respectu vel personarum, vel modorum constituendi & acquirendi.

XIII. Personæ sunt vel veræ vel fictæ. Personæ veræ sunt cum is, qui constituit, tūm is, cui constituitur. Neutrubi difficultas ulla latere videtur. Cum enim quilibet rerum suarum moderator & arbiter sit, vix unquam constituendi facultas jure denegari poterit, qui vel dominus reverā est, vel saltuum domini loco habetur. Nec exadverso minore injuriâ facile quisquam, qui alias jurium commerciūmque capax est, quin ipsi constituatur, prohiberi poterit.

XIV. Personam fictam sustinet jus. Nam & hoc certis casibus immediatè, ac sine interveniente facto hominis usumfructum constituit, qui inde legitimus dicitur, veluti. I. Patri in bonis adventitiis. §. 1. J. per quas person. cuig, acquir. l. 6. C. de bon. quæ lib. II. Eadem in bonis emancipatorum pro dimidia. §. 2. J. per quas pers. cuig, acquir. III. Matri ad secundas nuptias transiunti iis in bonis, quæ ex successione filii prioris matrimonii habuit l. 3. §. 1. C. de sec. nupt. avth. ex testamento. C. eod. .

XV. Modi constituendi & acquirendi, (quos quidem in causa præsente promiscuè ponere lubet, cum alias in se se spectati ab invicem differant) sunt vel actus inter vivos, vel ultimæ voluntates. §. ult. J. b. t. quibus addi potest ac debet patientia, usus, indeque resultans usucapio,

XVI. Actus inter vivos intelliguntur contractus, puta: donation, stipulatio venditio, permutatio §. 1. in fine Inst. Et l. 3. pr. ff. b. t. Ultimæ voluntates, sunt veluti testamenta & Codicilli, quibus titulo institutionis vel legati & fideicommissi ususfructus legari potest, d. §. 1. b. Et l. 3. pr. ff. eod.

XVII. Quod vero de contractibus dictum est, ita accipi debet,

bet, quod illis tantummodo causa, non ipsum jus ususfructus constituantur. Hoc enim cum species juris in re sit, pactis & stipulationibus quæri nequit, sed traditione demum. l. 20. C. de pæct. Unde quod hâc in parte de constitutione usufructus in jure passim traditur, vel metonymicè intelligendum est, vel de contractibus traditione s. quasi consummatis exaudiendum.

XVIII. Diximus constitui usumfructum ultimâ voluntate per legatum: quod tribus modis fieri dicitur. §. 1. J. b. 1. I. Si usumfructū testator alteri leget, ut heredi nuda proprietas remaneat. II. Vel contra, fundum detracto usufructu alii leget, remanente apud heredem usufructu. III. Si alii usumfructum fundi, alii fundi proprietatem nudam relinquant.

XIX. Verum enim verò annon in ultimis voluntatibus ad acquisitionem ususfructus æquè necessaria est traditio? Evidem negarem. Cum hodiè secus ac jure veteri nulla legatorum & fidicitorum differentia sit, expressèque constitutum, ut quibusunque verbis aliquid relictum sit, liceat legatariis id persequi actionibus tām realibus, quām personalibus §. 2. Inst. de legat. l. r. C. commun. de legat. eaque legatorum natura, ut statim ipso jure in legatarium transeat. l. 64. ff. defurt. etiam ignorantem. l. 19. §. 1. ff. serv. quem. amitt. l. 77. §. 3. f. de leg. 2. Nec obstant verba definitionis legati ab herede prestanda: alia enim est ratio juris, alia possessionis.

XX. Cedit autem hujusmodi ususfructus legati dies, secus quām alias, à tempore aditæ hereditatis, si purè legatus sit l. unic. §. 2. ff. quando dies leg. ususfr. ced. l. 2. & 3. ff. quando dies legati vel fideic. Sin ex die, cedit ex quo dies venit. d. l. unic. §. 3. & 4. Ratio videtur esse, ut habet Bachov. quod in legatis respicitur illud, ut jus agendi possit remitti seu transmitti in heredes. Hoc cū in usufructu deficiat, quia jus personale est, non nisi ab adita hereditate rectius dies cedere intelligitur.

XXI. Est & aliis occasione ultimæ voluntatis usumfr. acquirendi modus, eō in casu ubi pluribus relictus fuit, *jus accrescendi*, quod est jus conjunctionis, quò quis vacantem s. deficientem partem consequitur. Beat. Par. disquis. de jur. accresc. p 1. c. 4.

XXII. Duplex verò est, aliud ex necessitate & lege descendit, ut

dit, ut in hereditate, si plures heredes instituti fuerint, ex istis vero quidam deficiant: ibi, ne pro parte testatus, pro parte intestatus testator decederet, quod leges nostrae prohibent. l. 7. ff. de R. J. lex ipsa jus accrescendi induxit, ut reliquis, qui hereditatem adiecent, invitis accrescat illorum portio, qui vel omiserunt, vel morte aliave causa impediti fuerunt. §. ult. Inst. ad Sct. Orbit. l. 9. ff. de suis & legit. aut si unus tantum institutus, non potest partem delatae hereditatis habere, partim repudiare l. 1. l. 2. ff. de acquir. hered. l. 20. C. de jur. delib.

XXIII. Aliquando vero non ex necessitate, sed tantum presumta voluntate & mente testatoris; ut recte hic in usufructu legato. Ibi licet vacans portio collegatario non accresceret, ideo testator pro parte testatus, pro parte intestatus dici non potest, cum pars ista usustructus vacans ad heredem testamentarium vel legitimum redire posset. Prius illud genus dicitur legale; hoc hominem.

XXIV. Tria vero conjunctionis hujus genera notari solent. l. 89. de leg. 3. l. 142. de V. S. I. re & verbis simul, ut: Titio & Seio hominem Sticho do, lego. II. Re tantum, ut Sempronio fundum Tusculanum do, lego. Cajo fundum Tusculanum do, lego. III. Verbis tantum e. g. Titio & Seio ades Tusculanas aequis partibus do, lego. Hos omnes in suo genere jure accrescendi sibi invicem succedere verius esse putamus. l. unic. §. 10. & 11. C. de cad. toll. Cum & re tantum & verbis tantum conjuncti sint conjuncti. l. 89. ff. l. de leg. 3. l. 142. V. S. Cujus effectus est jus accrescendi: Imo nihil interest & refert conjunctim aut separatim relinquatur. l. 1. §. 3. f. ff. de usufr. accresc.

XXV. Annoverantur conjunctis (suo modo, licet abusivè) ii, quorum alteri testator reliquit fundum, alteri ejusdem fundi usumfructum legavit l. 3. §. 2. ff. de usufr. accresc.

XXVI. Nequaquam vero idem obtinere inter eos putandum est, qui diverso conjunctionis genere distant; ut testator ita legavit: Seio & Mœvio fundi Tusculani usumfr. do, lego. Sempronio fundi Tusc. usumfr. do, lego. Hic deficiente Seio, portio legati ususfr. Mœvio, ceu eodem genere cum Seio coniuncto: minime vero Sempronio accrescit. d. l. 89. de leg. 3. Secus etiam est, si separa.

paratiū unicuique partis rei ususfr. sit legatus. l. i. pr. ff. de usufr.  
accresc.

**XXVII.** Sed quæstio est haud ita expedita: Si servo com-  
muni legatus sit ususfr. an inter dominos servi istius locum habeat  
jus accrescendi; sive, an portio vacans jure ad crescendi ad alte-  
rum dominum pertineat? Nos non obstante l. 20. de leg. 2. aut  
quicquid in contrarium Donell. x. Com. 23. afferat, affirmamus  
jus accrescendi inter eos locum habere, per text. express. l. i. §. 1.  
¶ 2. ff. de usufr.

**XXVIII.** Ex quibus manifestò liquet, usumfructum secus  
ac reliquæ servitutes esse dividuum. l. i. §. 9. l. 9. l. 81. pr. ad leg.  
Falc. l. 5. pr. ff. de usufr. l. 14. quib. mod. usufr. toll. Sed quæritur  
unde & cur sit dividuus? Nos cum Vinnio illustr. quæst. lib. 1. c. 28.  
ratione perceptorum fructuum ita dici afferimus, qui cum dividi  
possint, etiam jus eorum percipiendorum dividuum habetur;  
quamvis ipsius juris nulla sit physica divisio. Hactenus causa ef-  
ficiens.

**XXIX.** Materia in quâ ususfructus constitui potest, est cor-  
pus aliquod. pr. b. ¶ l. 2. ff. b. t. (I.) mobile, vel etiam (II.) immo-  
bile s. soli l. 7. l. 15. §. 3. ff. t. Cum enim fructuarius ita re uti de-  
beat, ut salva ipsius substantia existat pr. l. b. t. necessariò, ut in  
corpore quodam consistat, sequitur. Est tamen & nominum u-  
susfructus. l. 3. ff. de usufr. ear. rer. & omnium bonorum legato  
etiam quod in actionibus est computatur. l. ult. ff. de usufr. leg.  
Sed constituitur ille in actionibus ratione rerum, quæ per illas pe-  
tuntur, quia qui actionem habet, rem ipsam habere intelligitur.

**XXX.** (III.) Inconsumibile, s. cuius substantia usu non ab-  
sumitur: non quidem naturâ sed jure. Debet enim usufructuarius  
finito usufructu corpus illud salvum restituere proprietario. l. i. ff.  
usufr. quem cav. Hinc earum rerum, quarum usus non nisi sub-  
stantiæ interitu percipi potest, nulla naturali ratione ususfructus  
constitui poterat. Utilitate tamen motus Senatus Rom. & ut de-  
functorum ultimæ voluntates, (quibus nihil magis hominib⁹ de-  
beri dicitur. l. i. C. de SS. Eccles.) exitum sortiantur, cautum est, ut  
& talium rerum non quidem verus, sed qs. sit ususfructus. §. 2. l. b. t.  
Unde nata διχογνία illa in verum & quasi usumfructum. De-

B

verō

verò illo, quem supra innuimus, nunc: de quasi illo sub finem.

XXXI. Constitui autem potest non tantum in re singulari.  
l. 7. §. 1. ff. b. t. de usufr. l. 3. §. 1. ff. eod. Sed etiam bonis omnibus,  
dummodo dodrantis aestimationem non excedant. l. 29. ff. eod.  
ita, ut fructuarius iste omnium bonorum non teneatur ad solven-  
dum æs alienum: cum solus heres huic oneri sit obnoxius l. 1. C.  
de hered. vend. l. 1. & 2. C. si unus ex plurib. hered. Ratione effe-  
ctus tamen idem est: nam æs alienum à re fructuariâ deducitur  
prius juxta l. fin. ff. de usufr. leg. l. 69. ff. ad leg. Falc.

XXXII. Forma est vel essentialis vel aaccidentalis. Illa con-  
sistit in utendo fruendo salva manente rerum substantia pr. I. b. t.  
Uti frui quid sit, jam suprà th. 7. ex parte expositum fuit.

XXXIII. Atque hoc ipso ususfructus distinguitur I. ab usu,  
cujus quidem est uti, sed non nisi ad necessitatem & usum quoti-  
dianum. Vid. supr. tb. 8. Adeò, ut grege ovili legato, præter usum  
ad stercorandum agrum permisum, non lanam, non agnos capi-  
at, sed vix modico lacte, uti possit. l. 12. ff. de usu & habit. nihilque  
fundi usu ipsi relicto habere intelligitur, quam ut oleribus, po-  
mis, floribus, foeno, stramentis & lignis ad usum quotidianum u-  
tatur. §. 1. I. de usu & habit.

XXXIV. II. Ab Habitatione in eo, quod cum vix receptum  
sit, ut usuarius hospitem in ædes recipere possit, & cum uxore li-  
berisque suis & libertis, nec non personis aliis, quibus non minus,  
quam servis utitur, habitandi jus habeat. §. 2. I. de usu & habit. l. q.  
ff. eod. fructuarius non modò ædibus ipse cum quibuscumque ve-  
lit, immorari potest; Sed & usum earum alii locare, vendere aut  
gratis concedere valet; quæ omnia in usuario secus se habent. per  
l. 2. l. 10. ff. & §. 1. I. de usu & habit.

XXXV. Forma Accidentalis est, quod potest constitui vel  
pure, vel sub conditione; vel ex die, vel ad diem. l. 4. ff. b. t. vel  
pro parte divisa, vel indivisa, quibuscumque tandem verbis. l. 14. §.  
7. ff. de usu & habit. l. 20. ff. b. t.

XXXVI. Ita quidem summatim traditur Forma è definitio-  
ne ususfructus. Sed nunc paulò distinctius eam videamus. Quod  
spero foret, si jus usufructuarii tūm in commodis, tūm in oneri-  
bus suis plenius consideremus.

XXXVII,

170

XXXVII. Commoda notari solent. (1.) Possessio. (2.) Adminicula. (3.) Ipse usus & rerum perceptio.

XXXVIII. Possidere usufructuarium rem naturaliter, docemur l. 12. pr. l. 49. pr. ff. de acquir. poss. Unde est, quod, cum naturaliter saltim possideat, nunquam rem illam usu capere possit. l. 8. C. b. t.

XXXIX. Adminicula sunt, sine quibus ususfructus alias obtineri nequit. l. 1. §. 1. si ususfr. pet. ut sunt aditus ad rem d. l. 1. §. 1. quem heres praestare tenetur, vel cedendo, vel ab aliis redimendo argumento l. 44. §. ult. de leg. l. etiam per fundum alienum d. l. 44. §. ult. de leg. l. l. 15. §. 1. de ususfr. leg. licet testator voluerit, ne eum heres praestet. l. 1. §. 1. si ususfr. pet. l. 1. ff. de adim. leg. Servitutes, sine quibus ususfructus planè foret inutilis; ut servitus luminum, aquarum d. l. 1. §. ult. ff. si ususfr. pet. Secus licet cum incommmodo quodam. d. l.

XL. Potissimum ipse usus & rerum perceptio est. Quem articulum melioris explicationis gratia in reipsa primùm, quid in eam veniat, spectemus: secundo quid queratur: tertio quid acquiratur.

XLI. Et si quidem omnium bonorum ususfr. sit legatus, res est expedita, quia nihil, quod excipi possit, habetur. Non ita in usufructu rerum singulariū & particularium, puta ædium, fundi, &c.

XLII. Ædium tamen & fundi usufructu legato, omnes partes contineri certum est, tām ab initio existentes, quām postea accedentes, fortè per alluvionem, fundo l. 9. §. 4. ff. b. t. Secus si insula nascatur. d. l. 9. §. 4. Aliquando etiam ex his in usumfructum decidunt, quæ partes rei fructuariæ non sunt, ejusdem tamen rei causa parata sunt, ut fundo legato & instrumenti fructum habere debet. d. l. 9. §. 7. ff. b. r. l. 15. §. 6. in f. ff. eod. ferarum, quæ ibi stabulantur & pascuntur. l. 9. §. 1. & §. ff. eod. & quæ extra fundum usu & destinatione patrisfam. ad eum pertinent, uti exemplum est in d. l. 9. §. ult.

XLIII. Alterum, nempe quid ex re fructuariâ queratur, est usus & fructus; nimicum usufructuarius habet jus ex re illa fructuariâ omnem utilitatem capiendi, ut supra in resolutione definitionis notavimus: utendi eō casu ad quem res paratæ; fruendi,

quantum commodi exinde percipi potest. *Don. x. Com. 2. non tan-*  
*tum ad necessitatem sed & voluptatem.*

**XLIV.** Sequitur ipsa fructuum perceptio. Sunt verò fructus in duplice differentia, naturales & civiles. Naturales sunt qui naturā: civiles, qui jure proveniunt *l. 62. ff. de R. V.* Hos omnes iu-  
eratur. *l. 7. pr. l. 9. pr. §. 1. & 2. l. 59. §. 1. ff. b. t.* Naturales tamen, (quantum ad ultimum annum) non nisi perceptos. *§. 36. I. de rer.*  
*div. Rat. est in l. 44. de R. V. & l. 27. de usufr. secundum cuiusque*  
*rei conditionem.* Sunt enim duplices, vel quos res ipsa ex se gi-  
gnit, vel qui immoti se habent. Vel ut habet Hahn. *tit. quib. mod.*  
*usufr. amitt. n. 3.* naturales in specie sic dicti & industriales.

**XLV.** Percepti autem dicuntur, quando à re vel solo sepa-  
rati sunt; quod fit frumento cœso, uvis exemptis, lacte mulso &  
expresso, pilo exfecto, lana detonsa &c. et si nondum in horrea  
collecti sint & reconditi. *l. 13. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. 78. de*  
*R. V. licet immaturi l. 48. §. 1. ff. de usufr. l. pen. ff. de usufr. leg. &*  
*per minimam anni partem steterint. l. 27. pr. l. 58. pr. ff. b. t.*

**XLVI.** Fugiunt tamen ex naturalibus fructibus acquisitio-  
nem & perceptionem (1.) partus ancillæ, qui in fructu esse nega-  
tur. *l. 68. pr. ff. b. t. §. 38. I. de R. D. ob rationem ibi annexam.*  
(2.) Sylva non cœdua. *l. 10. ff. b. t.* ubi tamen materiam succide-  
re licet, quantum satis est ad villæ refectionem, aut fulciendam  
vineam. *d. l. 10.* item arbores frugiferæ, imò infrugiferæ volu-  
ptatem ac amoenitatem largientes *l. 13. §. 4. ff. b. t.* arbores gran-  
des. *l. 11. ff. b. t.* (3.) Venatio, nisi fructus fundi ex venatione con-  
stet. *l. 26. de usfr. l. 22. ff. de iustrum. leg.*

**XLVII.** Hactenus fructus naturales, sequuntur civiles. Ci-  
viliū verò fructuum tria numeramus genera. Sunt I. operæ ser-  
vorum. *l. 4. ff. de oper. serv. eorumque acquisitiones. l. 21. cum*  
*seqq. ff. b. t. §. 4. I. per quas perf. cuiq. acquir.*

**XLVIII.** II. Commoda & ejus rei usus in alium translatio,  
venditio (potest enim usum saltim rerum istarum s. ut vocat No-  
bilissimus Hahnius jus reale, non ipsum jus personale vendere,  
unde apparet vocabulum illud jus in §. 1. *I. de usu & habit. abusi-*  
*vè accipi) locatio, donatio. l. 12. §. 2. l. 38. l. 67. ff. de usufr. d. §. 1.*  
*de usu & habit. cui voluerit, invito etiam proprietario. d. l. 67.*  
*ff. eod.*

141

f. eod. Non movet l. ult. C. de jure emphyt. cum speciale ibi  
sit.

XLIX. III. Actiones, quas rei fructuariæ nomine conse-  
quitur, ut est actio damni infecti. l. 7. §. 1. ff. b. t. l. 13. §. 8. de  
damn. inf. cuius natura est, quod si vicinus non caveat de danno  
infecto immisionem in possessionem vicinarum ædium usu-  
fructuarius petere potest, ita, ut nihil ipse finito usufructu a-  
mittat.

L. Hactenus commoda. Sequuntur onera, quorum alia  
vel apparenter vel reverà talia dici possunt. Illa videntur esse  
I. quod, cum fructuario desit proprietas rei, & saltim utendi fru-  
endi jus habeat, in potestate ejus non est, ut rem pro lubitu con-  
sumat. pr. I. & l. 1. ff. b. t. verbis *salva rerum substantia*. mutet ac  
transformet. argumento l. 13. §. ult. l. 15. §. 1. b. t. (quæ facultas a.  
lias dominii pleni est) sed re fructuaria solummodo frui.

Ll. (ll.) Quod, quandoquidem boni patris fam. in star-  
frui debet, & boni viri arbitratu. l. 65. ff. b. t. l. 1. pr. & §. 2. ff. u-  
sufr. quem. cav. quod inquam de re fructuaria tuenda sollicitus  
esse debet, tum in avertendis periculis, tum rebus comparandis.  
Quæ enim suo suorumque facto deterius reddita sunt, reficere o-  
mnino tenetur. l. 65 ff. b. t. Hinc si usucaptionem interpellare ne-  
glexerit l. 1. §. 7. f. ff. usufr. quem cav. aut servitutes non utente  
eo amissa fuerint. l. 15. §. ult. ff. b. t. aut servorum animaliumq;  
interitum sua incuriā, vel non præstitis alimentis perire passus  
fuerit, non absolvitur. l. 15. §. 2. l. 45. ff. b. t. Ab alio tamen abs-  
que suâ culpâ injuria facta, ad eum non pertinet. l. 19. ff. commod.

LII. Onera reverà talia spectantur potissimum I. in refe-  
ctione ædium l. 7. §. 2. ff. b. t. quæ tamen modica saltim ad fru-  
ctuarium pertinet. d. l. 7. §. 2. vers. hact. ff. b. t. hactenus nempe  
ut eas sartas tectas habeat. Eorum verò modicam intellige refe-  
ctionem, quæ sua natura vitii aliquid contraxerunt, puta si paries  
carie vel situ sit corruptus, aut integumenta perfluant. quæ enim  
vetustate corruerunt, reficere non cogitur. d. l. 7. §. 2. Quod si  
tamen ultra quam impendi debeat erogatum fuerit, repetere  
potest. l. 7. C. b. t. Quemadmodum impensas, quæ ante tradicio-  
nem ususfructus fecit, consequitur. l. 50. ff. b. t.

LIII. Quid si de refectione conventum sit, sumtus autem isti impendendi in tantum crescant ut fructum superent? Resp. quod si culpa sua suorumve nihil deterioratum l. 65. ff. b. t. usum-fructum relinquendo liberetur l. 48. pr. l. 64. ff. b. t.

LIV. II. In substitutione arborum demortuarum. l. 18. ff. b. t. Arboribus enim alia vi majore, puta tempestate eversis novas substituendas esse à fructuario, non placet l. 59. pr. ff. b. t.

LV. III. In fundo, quem proscindere, vites subserere, aquæ ductum & fossas purgare debet. l. 13. §. 2. inf. b. t. fundi seminarium renovare, si usus fuerit. l. 9. §. 6. ff. b. t.

LVI. IV. In grege supplendo. l. 68. §. ult. & l. 2. seqq. Notandum verò hic, quod, cum nova capita submittere teneri dicatur usufructuarius, necesse sit (1.) ut gregis cœu universitatis usus-fructus datus sit. l. 70. §. 3. ff. b. t. Secus si singularium. d. l. 70. §. 3. nec (2.) vi aliqua majore, incendio forsan, aut impetu prædonum, ablata sint capita argumento l. 59. pr. ff. b. t. (3.) ut ex eodem grege habeat, quæ submittere possit. l. 68. §. ult. verb. agnatis. §. 39. I. de rer. div. verb. fætu.

LVII. Itaque ante submissionem fœtus illi sunt fructuarii, submissi verò proprietarii: post eam verò demortui sunt fructuarii proprii. l. 70. §. 1. ff. b. t. etiam ignorantे proprietario, cum supplevisse gregem sufficiat; augere enim non debet.

LVIII. V. In solutione tributorum, vectigalium, pensationum &c. l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. t. quia in vectigalibus ipsa prædia, non personæ conveniuntur l. 7. ff. de publican. nisi hoc testator specialiter heredi injunxerit. l. 52. ff. b. t.

LIX. De his omnibus igitur proprietario cautio præstanda est à fructuario. l. 1. pr. ff. usufr. quem. cav. l. 4. C. eod. eaque ad omnem usumfructum pertinet. l. 13. pr. de usufr. sive constitutus contractu quodam inter vivos, s. ultimâ voluntate; isque vel per legatum vel fideicommissum vel alio modo sit relictus. l. 1. §. 2. usufr. quem. cav.

LX. Sed & si plures sint, à quibus ususfructus relictus, singulis satis dare oportet usufructuarium. l. 13. pr. de usufr. inf. ff. de usufr. & vice versa, si plures sint usufructuarii, omnes cavere debent, l. 9. pr. usufr. quem. cav. Quod si duobus conjunctim ususfructu-

fructus legatus sit', invicem sibi cavere debebunt & heredi in casum illum, si ad socium ususfructus non pertineat, heredi reddi. l. 8. inf. usufr. quem cav.

LXI. Cautionis istius capita potissimum hæc sunt, ut de u-tendo fruendo ad arbitrium boni viri restituendoque cum re, si desierit, caveatur. Prius saepius repeti potest, quoties usufructua-rius re boni viri arbitratu non utitur: posterius semel tantum, fi-nito usufructu. l. 1. §. pen. usufr. quem cav.

LXII. Desisse autem aliquando dicitur, (contra commu-nem verbi significationem, quam l. 208. de R. f. habet) et si non-dum cœperit, per l. 3. §. 1. usufr. quem cav. v. g. heres relicto à testa-tore usufructu ad Kal. Augusti, fundum tradit Kal. Junii, forte ut commodius frui possit: heres ante Kal. Augusti moritur, tunc itaque et si ususfr. nondum cœperit, desisse tamen dicitur.

LXIII. Semper tamen cautio hæc præstanda venit ab ini-tio, adeò, ut actio fructuario ante non detur, quæm cautionem il-lam præstiterit proprietario. l. 13. pr. ff. de usufr. b. t. Si EXIGATUR. Negamus enim cautionem hanc esse de essentia ususfructus, & casu non exactæ cautionis usumfructum subfistere, nec repeti pos-se fructus sciente proprietario perceptos, verius est. per l. 2. §. 1. ff. quod legat. l. 1. §. 1. ut in posseß. leg.

LIV. Immunis nihilominus ab ea est I. Pater in bonis ad-ventitiis, ob reverentiam. l. 6. §. 2. l. ult. §. 4. in f. C. de bon. qua lib. II. Is, cui ususfructus purè legatus est, proprietas ex die, quia certum est, proprietatem ad eum perventuram. l. 9. §. 2. usufruct. quem cav. III. Fiscus. Ratio videtur esse, quia fiscus semper idoneus successor & solvendo præsumitur. l. 2. §. fin. ff. de fund-dot.

LXV. Fit verò cautio ista fidejussoribus regulariter, cum ea sit natura satisdationis. l. 1. pr. ff. de his qui satud. cog. impri-mis Prætoriæ. l. 7. ff. de præt. stip. qualem hanc esse apparet ex l. 1. pr. l. 5. §. 1. ff. usufr. quem cav. Quod si verò adeò sit pauper fructarius, ut fidejussores invenire nequeat, homo tamen pro-batae & inculpatæ vitæ, juratoria erit. per text. auth. generaliter post l. 25. C. de Episc. & Cler. auth. cui relatum C. de relict. vid. Nov. 112. pr. in fin. Sin suspectæ; res per sequestrem agitur, apud quem fru-

fructus deponuntur, de quibus fructuario iis respondet. per l. 5. §.  
i. vers. sed si nec ipsi ff. ut legat.

LXVI. Oritur ex cautione illâ actio, quæ dicitur actio ex  
stipulatu, cum & ipsa cautio passim stipulatio appelletur. l. i. §. i.  
usufr. quem cav. l. 5. eod. quâ agi potest præterea ad id quod inter-  
est, si vel adversus ea, quæ pollicitus fuit fecerit fructarius, aut  
si non factum quod fieri debuisset. §. ult. I. de V. O.

LXVII. Quæstio hîc suboritur: an testator cautionem il-  
lam possit remittere? Videtur dicendum quod sic; quia iis solus re-  
rum suarum moderator & arbiter. Sed placuit non posse remit-  
tere. l. 7. C. §. ut in poss. leg. ne detur occasio delinquendi in præ-  
judicium heredis, quod remoto cautionis metu fieri posset; adeò,  
ut marito usufructu omnium bonorum testamento uxoris reli-  
cto, licet illa cautionem ab eo exigi prohibuerit, ea nihilominus  
præstanta sit. l. i. C. b. t. quia nemo testamento cavere potest, ne  
leges in illo locum habeant. l. 55. ff. de leg. i.

LXVIII. Sed an ab herede? Et remitti posse ab eo dicimus;  
cum in gratiam heredis introducta sit: quilibet autem juri suo re-  
nunciare potest. l. 29. C. de pæt. facie l. 6. C. de legib.

LXIX. Hactenus causam efficientem, materiam & for-  
mam vidimus: Sequitur effectus, cuius locum occupat Actio, quæ  
exinde fluit: (loquimur autem de usufructu vero & acquisito) &  
est duplex: Confessoria & negatoria; quarum hæc domino fundi;  
illa usufructuario datur. Utraque vero realis est. §. i. & 2. I. de a-  
ction. l. 5. §. i. si ususfr. pet.

LXX. Confessoria dicitur, quâ quis confitetur (unde &  
nomen) & asserit, usumfructum i. e. jus utendi fruendi illâ in re  
sibi deberi, seu ut rectius inquit Nobiliss. Dn. Hahn. in Com. ad  
Wesenb. tit. si ususfr. pet. suum esse. Eâque agitur, non tantum  
adversus dominum, qui debet, sed & aliam quemcunque, qui im-  
pedit. l. 10. §. i. ff. si serv. vind. l. 5. §. i. si ususfr. pet. vel ut patia-  
tur actorem uti frui. l. pen. §. ult. ff. eod. Si quid damni datum  
præstet id, quod interest. l. i. §. ult. ff. de nov. oper. nunt. fructus de-  
nique & omnem causam restituat. l. 3. §. 3. & 4. ff. si ususfr. pet.  
Unde & remedium usufructuarii Donello x. Com. 12. & aliis au-  
dit.

LXXI.



745

LXXI. Actio negatoria, veluti priori contraria est, quâ afferitur libertas rei s. prædii, consequenter negatur ususfructus. Ideoque petit per eam dominus, ut judex declaret suum prædium esse liberum, jubeatque cavere adversarium, ne imposterum ullum jus servitutis sibi in ea re esse afferat. §. 2. vers. contra quoque Inst. de action.

LXXII. Sequuntur contraria, quô pertinent modi quibus ususfructus amittitur. Audivimus enim usumfructum esse jus RE ALIENA utendi fruendi, & proprietatem usufructuario deesse. Illa ipsa, cum abscedente semper usufructu inutilis planè foret, placuit inquit Cajus l. 3. §. 2. ff. de usufr. certis modis usumfr. extingui & ad proprietatem reverti.

LXXIII. Modi verò quibus ususfructus amittitur à Justiniano in §. 3. I. b. t. sex adducuntur, mors usufructuarii, capitis diminutio, non usus, cessio, consolidatio & rei interitus; quibus nos præstitutum tempus addimus.

LXXIV. Accipimus autem vocabulum *amittere* latius, ut & usumfructum omissum & finitum contineat. Aliud enim est usumfructum amitti, aliud finiri. Amittitur ususfructus non per se, sed alieno eventu & antequam ipso jure finitur: Finitur suo quasi fato. Magnif. Dn. Frantzk. Com. ad w. tit. qnib. mod. usufr. amitt.

LXXV. Distinctiū igitur ut procedamus, amitti usumfructum (vocab. strictè accepto) dicimus I. Capitis diminutione, quæ ut olim triplex pr. I. de cap. dim. l. ult. ff. eod. ita jure veteri omni amittebatur, quod expressè docet Paulus 3. Sent. 6. §. 34. & facit huc, quod textus omnes generaliter loquantur, ut sunt l. 1. pr. & §. 1. l. 3. l. 14. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. 23. l. 29. de usufr. leg. l. 8. de annuis leg. hodiè sublata illa minimâ, duabus tantum, maxima & media. l. 16. in f. C. b. t. Amittitur verò iis omnis ususfructus; cum reliquis modis interdum saltim pro parte amitti possit. l. 14. l. 25. ff. quib. mod. usufr. amitt.

LXXVI. Exceptio est in filio & servo, cui ususfructus relietus fuit. Illi enim licet capitis diminutionem patiantur quamcunque, aut moriantur, ususfructus tamen non amittitur, sed manet apud patrem vel dominum. Aut si pater vel dominus capi-

C tis

tis diminutionem subeat, filio & servo isti itidem ususfructus non adimitur. l. fin. C. de usufr. Sed invicem transmittunt. Quin immo non officit domino, etiam si servum istum, cui ususfructus relictus fuit, pro parte alienet, sed totum usumfructum retinet. l. 15. C. b. t.

LXXVII. II. Rei ipsius interitu. (Cum sit jus in corpore. l. 2. ff. de usufr. pr. l. eod.) totius tamen. Nam & in parte totus ususfructus retinetur. l. 53. ff. de usufr. cum alias regulariter per usum partis tota servitus retineatur l. 8. §. f. serv. quem amitt. l. 2. ff. eod. l. 18. ff. de S. P. R. Aut si quoad interiorem formam planè mutetur. l. 5. §. pen. ff. quib. mod. usufr. amitt. quod factum intelligitur, si res in aliud nomen transeat. Donell. x. Com. 18. puta si fundus, cuius usumfructum habet, flumine inundatus sit, ita, ut hoc pristino alveo mutato in fundo illo fluere perget l. 24. ff. quibus mod. usufr. amitt. inundatio enim momentanea non attenditur. §. 24. I. de R. D. vel domus fructuaria reædificetur; vel Scyphorum usus sit legatus, & posteà massa fiat. l. 36. ff. de usufr. Secus tamen est, si servus aut fundus captus liberatus fuerit, qui jure postliminii fructuario restituitur. l. 26. ff. quib. mod. usufr. amitt.

LXXVIII. Sed ædibus exustis, annon areæ ususfructus debetur? Negatur l. 5. §. 2. quib. mod. usufr. amitt. §. 3. vers. eo amplius I. de usufr. cum ædium pars non censeatur. Et servitus alia sit quæ in solo, alia quæ in superficie consistat. l. 3. ff. de servit. Secus tamen est in casu legati v. g. si omnium bonorum ususfructus legatus sit, tunc enim areæ usumfructum petere potest. per l. 34. §. 2. ff. de usufr.

LXXIX. Sed si res culpa domini intereat, an & tunc ususfructus amittatur, quæri potest? Et amitti verum est. Potest vero fructuarius adversus dominum experiri actione ex stipulatu, si res nondum tradita sit, sin opere facto, interdicto quod vi aut clam: sin sine opere ex lege Aquilia. l. 5. §. ult. & l. seq. ff. quibus mod. usufr. amitt. l. 12. ff. ad leg. aquil. interdum etiam de dolo. d. l. 5. §. ult. quib. mod. usufr. amitt.

LXXX. III. Amittitur cessione in jure facta, ut ait Borcholt. Com. ad Inst. b. t. domino proprietatis, nequaquam vero extra mico.



neo. Nimiā enim pœnā liberalitatis suæ lueret; si eo, quod jus suum personale (reale enim illud omnino potest) cedere vellet, usumfructum amitteret. Facit quod ille phraseos & nihil agere in jure sensus sit, nullum inde lucrum vel damnum sentire, nullius esse momenti. *l. 25. §. 3. in f. ff. b. t. & l. 2. ff. de pignor. act. l. 21. §. 4. quod met. caus. §. 4. I. de usufr. Gipb. ad Inst. b. t.* Et manifestò argumentum à contrario præbet *Paul. 3. Sent. 6. §. 37. verbis quoniam domino.* Hinc salvo aliorum Magnorum Virorum judicio textum *l. 66. ff. de jur. d. t.* non obstat putamus, optimèque conciliari posse, si quando cum Hillig. Com. ad Don. x. c 19. lit. B. (quæ & communis opinio) verbum illud futuri temporis REVERSURUM explicemus suo tempore, finito nimirum usufructu.

LXXXI. IV. Non utendo (I.) per modum, forte per negligentiam. *l. 25. ff. quib. mod. usufr. amitt. aut ignorantiam, si usus tantum sit, ignorans se usufr. habere per text. l. 20. ff. d. t. aut quod modum à constitente præstitum non observaverit. l. 2. ff. de aqua quotid. l. 10. §. 1. quem serv. amitt.* Idem vero est, sive ipse non utatur, sive aliis suo nomine, cui donaverit aut gratis concesserit. *l. 40. ff. de usufr.* Quod si tamen vendiderit, etiam si emtor non utatur, usufructum tamen retinet, *l. 38 ff. d. t.* quia qui pretio fruitur, non minus habere intelligitur, quam qui principali re fruitur. *l. 39. ff. eod.* Et totum amittit usufr. si tota re; partem, si pro parte saltim non utatur. *l. 25. ff. quib. mod. usufruct amitt. l. 14. ff. eod.*

LXXXII. (II.) Per tempus. Erat ille jure veteri in rebus immobilibus anni spatium, in immobilibus biennii. *l. 16. pr. C. de usufr. l. pen. C. de servit.* Constitutione vero Justiniane inter presentes decennium, inter absentes vicennium est. *d. l. pen. C. de servit.* eum nunc non subjectum, sed ipse usufructus, qui pro re immobili habetur, attendatur.

LXXXIII. Dubium videtur: an & male utendo usufructus amittatur? Nobis negativa verior arridet, modò in non usum incidat, ut si quando re fructuaria hyeme utatur, cum æstase ejus usus concessus sit. *l. 10. ff. serv. quem. amitt.* Cum cautio-

ae illa fructuaria ad interesse conveniri possit. t. t. ff. usufruct.  
quem. cav.

LXXXIV. V. Usumfructum amittendi modus est, cum  
proprietate conjunctio, quæ consolidatio dicitur. §. 3. vers. idem  
finitur. I. de usufr. confusio l. 4. ff. usufr. quem cav. l. 27. ff. quibus  
mod. usufr. amitt. si dominus proprietatem vendat usufructua-  
rio, aut alia ex causa ipsa ad eum deveniat, puta si cedat, aut ser-  
vum, in quo ille usufr. habet noxæ det dominus. d. l. 27. vel pro-  
prietas ex die legata ad fructuarium perveniat.

LXXXV. Finitur ususfructus l. morte naturali. §. 3. pr.  
I. b. t. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. ususfr. amitt. Et passim. quia jus per-  
sonale est, quod ossibus qs. usufructuarii cohærere vulgo dicitur.  
Unde ad heredem nequaquam regulariter pertinet. l. 3. pr. C. de  
usufr. sed cum persona fructuarii mortua extinguitur.

LXXXVI. Fallit tamen regula, (1.) si stipulatione aut judicio  
aliud constitutum fuerit, ut nimirum in heredem transeat. l. 36.  
§. 1. de usufr. l. 38. §. 12. ff. de V. O. l. 14. C. de usufr. Quô verò ca-  
su non ut aliâs heredis heres testatoris heres est. l. ult. C. de hered.  
inst. 170. de V. S. l. 194. de R. f. Sed verior est regula Tiraquelli  
p. 4. declar. 4. num. 2. in re sua natura non transitoria ad here-  
des, appellatio heredis solum primum heredem continet. Et  
nimitur l. 14. circa med. C. de usufr. ubi dicitur: firmum esse tale  
legatum, sed usumfructum illum morte heridis finiri. Quare  
enim (pergit Justinian.) iste usufructus sibi tale vindicet privi-  
legium, ut à generali interemptione usufructus iste solus exci-  
piatur.

LXXXVII. Fallit (II.) præposita regula in usufructu fi-  
lio extra peculii castrensis causam relicto; aut patri & servo alieno  
legato l. fin. C. de usufr. Ibi nempe idem obtinet, quod supr.  
in thes. 71. circa capitis deminutionem hoc in casu notavimus.  
Ratio ejus rei redditur in d. l. f. quia verisimile est testatorem  
magis filii contemplatione, quam patris, usumfructum ei reli-  
quisse.

LXXXVIII. (III.) Ad heredes transit usufructus & regu-  
la fallit, si certa pensione à proprietario fuerit relicitus. l. 10. C. b. t  
l. 18.

*l. 18. C. de jur. dot.* Secus si à fructuario locetur, ubi heres fructuarii non tenetur præstare uti frui per l. 9. §. 1. ff. locat. & culpa penes conductorem est, qui hoc evenire posse prospicere debuisset.  
*d. l. 9. §. 1. vers. idem querit.*

LXXXIX. Addi posset & hæc limitatio, nisi pluribus legatus sit; tūm enim unius personā extinctus ususfructus non redit ad proprietarium, sed accrescit reliquis collegatariis ut supra diximus. Quæ tamen non adeò de regulâ esse videtur.

XC. Diximus usumfructum regulariter extingui morte usufructuarii, quid si municipio, vel civitati relictus fuerit? Resp. distingv. aut civitas cui ususfructus relictus fuit, manet salva & integra, aut perit. Priori casu ususfructus centum annis absolvitur. *l. 56. ff. de usufr. l. 8. de usufr. leg.* tanquam longissimæ vitæ hominum spatio. *d. l. 8. ff. de usufr. leg. 23. §. 1. in f. C. de S.S. Eccles.* Posteriori casu, si deleta sit, quod fieri olim solebat aratro inducto, (qui mōs tūm condendæ urbis fuit *l. 239. §. 6. ff. de V. S. Virg. V. Aeneid. ibi*)

Interea Æneas urbem designat aratro  
Sortiturque domos &c.  
tum destruendæ & subvertendæ. *testē Horat. lib. 1. Od. 16. circa finem* citius perit. *l. 21. ff. quib. mod. usufr. amitt. nec restituta ea reviviscit. arg. l. 10. §. 1. & 7. ff. eod.*

XCI. Finitur porro ususfructus tempore præstituto elapsō: si fortè ad tempus. *l. 5. C. de usufr. in diem. l. unic. quando dies leg. usufr. ced.* sub conditione certā relictus fuerit. *l. 12. C. de usufr.*

XII. His modis omnibus omnis ususfructus acquisitus amittitur, s. jure constitutus sit, s. tuitione prætoris. *l. 1. pr. quib. mod. usufr. amitt.* Acquisitus dixi. Is enim cujus dies nondum cessit, id est, venit (cedere enim hujus dies non dicitur, nisi & venerit. *l. unic. §. 3. quand. dies leg. usufr. ced.*) morte quidem finitur, non item capitis diminutione amittitur. *l. 1. §. 1. ff. quib. mod. usufr. amitt.*

XIII. Absolvimus usumfructum verum. Subsequitur quasi ususfructus: qui, ut supra diximus, jure non natura existit:

in eumque veniunt res, quorum usus absque interitu substantiae consistere nequit, seu ut Ulpianus l. 5. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. &c. vocat; quae in assumptione sunt. Hinc fit, quod rerum istarum proprietas in fructuarium transeat, & heredi caveatur de tantundem restituendo. §. 2. I. de usufr. l. 7. ff. de usufr. ear.

XCIV. Causa efficiens itaque ejus ratione determinationis est SCtum: ratione constitutionis vero persona. Modus constituendi de jure veteri est ultima voluntas. l. t. ff. usufr. ear. rer. Hodie tamen quin & inter vivos pactionibus & stipulationibus quasi ususfructus constitui possit, non negare; motus rationibus Bachov. ad Treutl. b. t. tum ipso generali vocabulo consti. tui, quod Imp. in §. 2. I. b. t. pro legati constituit. Quae sententia est Nobiliss. Da. Hahn. in not. ad Wessenbec. ff. de usufr. ear. rer.

XCV. Subjectum ejus sunt res usu consumtibiles. Quo differt (I.) à vero usufructu, cuius subjectum est corpus, quod utendo non perimitur. Quod cum ita sit, apparent vestimentorum usumfructum regulariter verum non esse: cum, (ut loquitur eximius quidam JCtus) non saltim fungibles res intelligantur, quantum usus in momentaneo vel celeri abusu consistit, sed & aliae, quae paulatim, & cum tractu temporis aliquo atteruntur, veluti vestimenta & similia.

XCVI. Posse tamen aliquando verum eorundem usumfructum esse & constitui concedendum est, si ut species quædam argumento l. 51 ff. de leg. 1. (cum aliæ, si æstimata fuerint, ut quantitas considerentur) legentur. Quo spectat. l. 15. §. 4. ff. de usufr. l. 19. §. pen ff. usufr. quem. cav.

XCVII. Differt (II.) à vero usufructu ratione cautionis præstandæ. Cum enim illius in vero usufructu duo sint capita, unum de rectè utendo, alterum de restituendo, ut audivimus in hanc quasi ususfructus unum tantum hoc venit, ut de tantundem reddendo caveatur.

XCVIII. Sed redit quæstio, suprà jam mota: annon fort hæc cautio sit de substantia quasi ususfructus? Et DD. hic in diversas abeunt sententias. Nos itidem negamus cum Anton. Pe- rez.

rez: prelect. in Cod. b. t. per l. s. §. 1. ff. de usufr. ear. rer. ubi ante cautionem præstitam ususfructus constare & finiri dicitur. Quod si ante cautionem præstitam finitus dicitur, ante constitisse apparet. Hinc ab herede, in cuius gratiam introducta fuit, eam remitti posse credimus, licet testator remittere nequeat. I. i. C. de usufruct.

XCIX. Denique differt, quod verus ususfructus pluribus ut suprà docuimus, modis extinguitur; quasi ususfructus verò duabus tantum, capitis diminutione sc. & morte. §. 2. I. b. t. l. 9. ff. de usufr. ear. rer..

C. Et hæc sunt, quæ secundum vigorem intellectus & pugnarum, quibus me includere volui, debui, angustiam, de nobilissima hac ususfructus materiæ breviter attigisse sufficiat. Tu verò, Benevolè Lector, veniam, ut spero, dabis, si forte nonnulla perperam omissa, aut non ita accuratè tradita fuerint, nec graviter ea pro ingenii Tui dexteritate emendare, supplere.

## T A N T U M.

---

Juris in Oceano Te nunc rubrica, magistra  
 Quæ est ususfructus, sola juvare potest?  
 Laudo, ususfructus titulum de ponte cathedræ  
 Quòd doctè exponas, publicitusq[ue] sones.  
 Nam labor hic monstrat, quām jam Tua corda bearit  
 Fructus, quāmve usū largiter alma Themis.  
 Hinc iterum atque iterum dignis tua laudibus orno  
 Cœpta, ususfructus quod pia jura doces.  
 Quin Tibi, qui semper cupii bene, id ecce! futuri  
 Præscius & felix, ominis addo boni:  
 Hic ususfructus titulus tua sola voluptas.  
 Præsens, post fructus munera larga dabit.

Uff

*Utilis, ajo, manet Te fructus, fructifer usus  
Te expectat, quod nunc utile dogma secas.  
Hoc opus, hic labor hac, quæ fructu usuq; redundet  
Divite, Te quondam sede locare studet.*

*Hicce autem dediæ quidem, oloquædiæ ramen effusis Pereximio & Doctiss. Dn. Respond. Fautori, Consalino, ac Amico suo dulcissimo applaudere voluit, quia debuit*

**M. Hermannus Erdmann/  
Palæog. Bremenfis.**





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-562842-p0027-8

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-562842-p0028-4

DFG

Jena, Diss., 1658

f



56



**Farbkarte #13**

*B.I.G.*



7780

*X.*  
Q. D. B. V.  
EXERCITATIO JURIDICA  
*De*

# USUFRUCTU,

*Quam*  
Permissu ac consensu

*Magnifici ac Nobilissimi J<sup>c</sup>torum in Alma Sala-  
na Ordinis,*

P R A E S I D E  
V I R O

*Nobilissimo, Consultissimo, Amplissimo, Excellentissimo*

**DN.GEORG-A ADAMO STRUVIO,**  
J<sup>c</sup>to & Antecessore longè celeberrimo, Consilia-  
rio Saxonico gravissimo, Curiæ Provincialis & Scabi-  
natus Assessore spectatissimo,

Patrono ac Præceptore suo omni honoris atque obser-  
vantiae cultu etatem devenerando, co-  
lendo

*publico eruditorum examini submittit*  
**JOHANNES ADOLPHUS RIEMER,**

JENENSIS, A. & R.

*In Auditorio J<sup>c</sup>torum*

*Ad diem Octobr.*

---

JENÆ, Literis JOHANNIS NISII,  
clo loc LVIII.